

jus sententiæ allegat; quibus inhærendo præsens conclusio non potest dici interpretatio ejusdem concilii contra prohibitionem Pii IV.

200. *Ratio horum ulterior.* — Ratio ulterior est: quia poenæ sunt restringendæ, quantum fieri potest, non ampliandæ, c. *Odia.* et c. *In poenis.* de *Reg. juris*, in 6. ibi: « In poenis benignior est interpretatio faciendæ: ergo, cum dicta verba concilii possint commode intelligi quoad perditionem fructuum tantum, et quod possessio quoad horum acquisitionem nihil eis suffragetur, oportet eas sic intelligere. Accedit, quod concilium ibidem de sola fructuum beneficii amissione tractet, immediate præmittendo verba illa, « Fructus non faciant suos: » ergo etiam sequentia, « Nec eis possessio suffragetur, » in ordine ad eandem fructuum amissionem accipiendæ sunt, excludendo videlicet quodcumque suffragium, sive adjutorium, quod cæteroque possessio dare posset ad eosdem fructus acquirendos, v. g. via usucapionis, præscriptionis, etc. Patet consequentia: tum quia intelligentia dierum ex causis est assumenda dicendi, *Intelligentia.* 6. de *Verb. signif.*; tum quia intelligi verba debent secundum materiam subjectam, arg. c. *Solita.* § *Verum de majorit. et obed.* ac fuse probat Barbosa, axiomat. 222, n. 8 et 9.

201. *Omittentes dictam professionem, non defenduntur regule de Annali possessore, nec præscriptione, quoad fructus retinendos.* — Inferitur proinde primo, quod tales regule Cancellariæ apostolicæ, de *Annali possessore* quoad fructus retinendos se tueri non possint imo quod nec longissima possessio eisdem prosit quoad præfatos fructus percipiendos, quamdiu professionem fidei non emiserunt. Et ita a sacra congregatione decisum fuisse refert Flaminius, lib. VIII. quæst. 9, n. 122. et Garcias, d. cap. v. n. 34. et Barbosa d. alleg. 61. n. 26. Nam talibus juxta Tridentinum possessio quoad fructuum perceptionem non suffragatur: id autem fieret, si vel regula de *Annali possessore* vel præscriptione longi temporis, quæ sine possessione non procedit, fructus sui beneficii defendere, aut recuperare valerent.

202. *Bene tamen quoad alios effectus possessionis.* — Inferitur secundo, cum ei, qui professionem fidei non emisit, possessio quoad fructus dumtaxat faciendos suos non suffragetur ut dictum est: quod talis quoad alios effectus commodo possessionis, atque cæteris juribus

ex eo provenientibus, nequiquam privetur. Et ita censuisse sacram congregationem, refert Prosper de Augustinis in addit. ad Quarantam. §. *Beneficiorum possessio*, litt. B. ac post ipsum Barbosa, loc. cit., n. 27. Ex quo ulterius

203. *Et vocem in capitulo, jusque præcedentiæ.* — Inferitur tertio, quod canonicus cathedralis, licet professionem fidei nondum emisit, et vocem in capitulo, et jus præcedentiæ habeat a die adeptæ possessionis, nisi aliud obstet; prout declarasse eandem sacram congregationem refert Garcias, cit. n. 34. et Barbosa, d. n. 27. post Ricciolum, d. lib. I. cap. XVI. n. 40. et Ferentillum.

204. *Sicut et regula de Triennali.* — Inferitur quarto, quod clericus provisor de beneficio, ut supra, quamvis intermiserit professionem fidei; si per triennium pacifice possederit beneficium, ex tunc juret regula Cancellariæ *De Triennali*, ad effectum, ne super illo beneficio amplius molestari valeat. Sanchez, d. cap. v. n. 9; Castro Palao, cit. punct. 19, n. 45; Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.*, cap. XXI, n. 79. et alii.

205. *Fructus beneficii ob intermissam fidei professionem non acquisiti, applicantur Ecclesiæ; vel pauperibus.* — Quæritur IV. Cui applicandi sint fructus beneficii, ob intermissam fidei professionem a beneficiario non acquisiti? Resp. I. Licet concilium Tridentinum, cit. cap. XII. id non determinaverit, nihilominus dicendum est tales fructus esse applicandos fabricæ Ecclesiæ beneficii, si indigeat, aut pauperibus, vel alteri pio loco. Ita doctores passim, quos citat et sequitur Barbosa tum proxime, cit. cap. XXI, n. 75; tum d. allegat. 61, n. 31. Idque colligitur ex eodem concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. § *Si quis autem.* de *Reform.* hoc ipsum statuente de fructibus beneficiariorum non residentium: juncto cap. III. de *Reform.*, sess. 22. ubi similes fructus fabricæ Ecclesiæ, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicari jubentur.

206. *Fallit, si necdum sint separati a communi mensa capitulari.* — Cæterum hæc doctrina potissimum procedit in beneficiis curam animarum annexam habentibus, nec non in canonicatibus, et dignitatibus cathedralibus, quæ habent fructus distinctos, atque separatos a mensa capitulari. Aliud tamen est in canonicatibus, et dignitatibus illis, quæ non sic habent fructus distinctos, atque a mensa capitulari separatos: nam hujusmodi

fructus, si a quopiam amittantur ob intermissam fidei professionem, remanent in mensa communi capitulari, utpote a qua necdum sunt separati, sicque spectant ad capitulum, sicut fructus non residentium, aut excommunicatorum. Garcias, part. I. de *Benef.* cap. III. n. 36; Castro Palao, loc. cit. n. 19; Barbosa, d. allegat. 61, n. 31. et alii.

207. *Fructus taliter amissos non potest condonare Ordinarius loci.* — Resp. II. Ordinarius loci non potest condonare fructus beneficii amissos ob non peractam professionem fidei. Ita Garcias, d. cap. III. n. 531. referens sacram congregationem cardinalium ita declarasse. Barbosa, cit. num. 31. et alii. Siquidem ordinarius nequiquam potest remittere penam a concilio generali inflictam, nisi in casibus sibi expresse permissis: quia lex superioris per inferiorem tolli non potest, Clem. *Ne Romani*, § 1. de *Elect.* et can. *Inferior*, dist. 24. et c. *Cum inferior.* de *Majorit. et obed.*

208. *Sed oportet recurrere ad Papam.* — Hinc in tali casu recurrendum esse ad dominum Papam, qui solet remittere tales fructus post non factam fidei professionem, si nulla malitia intervenit, et ipsa quamprimum emittatur, notat ibidem Garcias: sicut et Barbosa, cap. XVII. de *Canonicis*, n. 23. refert, quod cum iam per sacram Congregationem grates remissa fuerint fructus præteriti, quos ob intermissam professionem fidei non fecerat suos.

§ X.

DE ERRORIBUS JOACHIM ABBATIS, ET DAMNATIONE SUI LIBELLI.

209. *Joachim abbas, quis fuerit? Ejus vaticinia, præsertim de S. P. N. Francisco et ordine ipsius.* — Quæritur I. Quis fuerit Joachim abbas, et quæ ejus causa scribendi contra Petrum Lombardum? Resp. I. Joachim abbas fuit monachus ordinis sancti Benedicti, fundator monasterii Florentis, regulari institutione, et observantia salutari celeberrimi. Vixit anno Domini 1195. Et cum esset vir in sacris Litteris perdoctus, scripsit *Commentaria in Isaiam, Jeremiam, et Apocalypsin*, atque *Concordiam Testamenti Veteris et Novi*. In hoc etiam libro *Concordiæ* plura de futuris religionibus, ac præsertim de S. P. N. Francisco, atque ordine ipsius venturo, et quaquaversum per orbem dilatando, et usque ad novissima tem-

pora duraturo, multisque per ipsam præclare fiendis longe ante vaticinando prædixit; prout allegatis verbis illius refert Bartholomæus Pisanus, lib. I. *Conformitatum Fruct.* 4. § 7. *Beatus Franciscus*. Circumferuntur quoque sub ejus nomine quædam vaticinia de futuris Romanis pontificibus: sed an fidem mereantur, nonnihil dubitat Bellarminus, lib. de *Scriptoribus Ecclesiæ*, addens, quod saltem ista ad solos quindecim pontifices pertingant; ac proinde mirum sit, quod humana curiositas ad nostra usque tempora, conetur ipsa extendere.

210. *Cur is scripserit contra Petrum Lombardum, vulgo Magistrum Sententiarum?* — Resp. II. Verisimile est, quod Joachim abbas causam scribendi contra Magistrum Petrum Lombardum sumpserit ex sequentibus causis. Primo, quia licet Petrus Lombardus, episcopus Parisiensis, qui tempore Gratiani, ac circa annum Domini 1143, floruit, sententias sanctorum Patrum, atque theologorum collegerit, atque in quatuor libros apte distribuerit, ac proin per antonomasiam *Magister Sententiarum* appellari meruerit: non tamen omnia ejus dicta probarunt discipuli ejus, et successores doctores scholastici: quinimo in additione ad Magistrum typis excusa, notantur viginti sex articuli, in quibus ipse rejicitur.

211. *Cur is scripserit contra Petrum Lombardum, vulgo Magistrum Sententiarum?* — Secundo, idem Magister Petrus Lombardus apud Alexandrum papam III, fuit accusatus hæresis crimine, quasi docuisset, quod Christus, secundum quod est homo, non sit aliquid. Unde idem Pontifex Wilhelmo Senonensi archiepiscopo, in mandatis dedit ut convocatis apud Parisios suffraganeis suis, et adhibitis aliis viris religiosis ac prudentibus, prædictam doctrinam penitus studeat abrogare; et a magistris scholaribus ibidem in theologia studentibus edoceri præcipiat, Christum sicut perfectum Deum, sic et perfectum, verumque hominem esse, ex anima rationali et humana carne consistentem. Tenorem harum Litterarum apostolicarum verbatim allegat Emmanuel Gonzalez in *Comment.*, ad cap. II, h. 1. inde colligens post *Sermonem* sub Innocentio III, quod inter alios viros religiosos, ac prudentes, a memorato archiepiscopo Senonensi etiam Joachim abbas fuerit invitatus, atque stimulatus ad refutandum prædictum errorem: qua arrepta

occasione is Magistrum Petrum Lombardum impugnavit, non solum in his, quæ refellenda erant, verum et in articulis veris, atque orthodoxis de Unitate divinæ essentiæ in tribus personis: idque probare conabatur ex loco perperam intellecto *Joan.* cap. XVII. uti jam supra h. t. n. 10. et 11, breviter insinuat.

212. *Errores Joachim abbatis, qui?* — Quæritur II. Quot fuerint errores Joachim abbatis, cap. *Damnamus.* h. t. relati, et quis effectus factæ ab eo protestationis, qua iudicio Sedis apostolicæ scripta sua submisit? Resp. I. Errores huiusmodi fuerunt principaliter duo. Primus, quod intulerit ex ejus scriptis Petrum Lombardum in divinis non tam trinitatem, quam quaternitatem astruere, sicque ipsum esse hæreticum, atque insanum. Sed istud pessime inferebat: nam illa res summa, sive communis essentia trium personarum divinarum, videlicet Patris, et Filii et Spiritus sancti, quam asserebat Magister Sententiarum, atque confitetur generale concilium, totaque Ecclesia catholica, non est separata, neque realiter distincta a tribus personis divinis: sed quælibet trium personarum est illa res, sive substantia, atque natura divina. Et ideo in Deo solum trinitas est, non quaternitas, uti superius h. t. num. 8. et seqq. uberius declaratur.

213. *Errores Joachim abbatis, qui?* — Secundus Joachimi abbatis error consistit in assertione illa hæretica, et a concilio generali solemniter damnata, quod in divinis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sint unum, non unitate vera et propria, sed quasi collectiva dumtaxat et similitudinaria. Et de hoc pariter errore hæretico jam supra h. t. cit. num. 8 et seqq. dictum fuit; idemque a toto generali concilio reprobatur in cap. *Damnamus.* 2 h. t.

214. *Ipse non fuit hæreticus, quamvis libellus ipsius damnatus sit; et cur?* — Resp. II. Prædictis erroribus haud obstantibus Joachimus abbas non fuit hæreticus: et quamvis doctrina ipsius, atque libellus contra Magistrum Petrum Lombardum editus, fuerit a concilio damnatus, non tamen ideo auctor ipse damnatus extitit. Ita desumitur ex c. *Damnamus.* juncta Glossa fin. h. t. Et ratio est, quia abbas Joachim omnia sua scripta submisit iudicio Sedis apostolicæ approbanda, vel corrigenda: simulque in epistola propria manu subscripta, palam professus est firmiter se tenere fidem illam, quam Romana

tenet Ecclesia, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra: unde in ipso defuit pertinacia. Atqui ad hæresim formaliter sumptam requiritur ut error in intellectu contra veram fidem, et pertinacia in voluntate, can. *Dixit Apostolus.* 14. q. 3. Et ideo Honorius papa III ad supplicationem abbatum, et conventuum de ordine Floris, specialibus Litteris apostolicis 1221, 13 kalend. januarii datis (quæ incipiunt, *Ex parte*, atque referuntur a Fagnano in c. *Damnamus.* n. 26. h. t. et Gonzalez, eod. cap.) declaravit, ac publice nuntiari mandavit, Joachim abbatem fuisse catholicum; sive (ut loquitur pontifex) «quod eum verum catholicum reputamus, et regularem observantiam, quam instituit, salutarem.»

215. *Protestatio auctoris, scripta sua iudicio sanctæ matris Ecclesiæ submittentis, utiliter libris apponitur.* — Et hac de causa doctores catholici caute in principio, vel in fine suorum librorum, apponere consueverunt protestationem quamdam vulgo *Protestatio auctoris* inscriptam, qua protestantur, quod omnia sua dicta, et scripta, iudicio, et correctioni sanctæ matris Ecclesiæ submittant. Per hoc siquidem evitant omne periculum hæreticæ pravitate, ab eaque excusantur ex defectu pertinaciæ, licet in eorum scriptis reperirentur errores ab Ecclesia damnati, qui per ignorantiam, aut incuriam irrepissent, arg. d. c. *Damnamus.* h. t. et tradit ibidem Fagnanus, num. 23. et amplius Navarrus consil. 6, num. 14. de *Hæretic.* Concordat can. *Hæc est fides,* 24. q. 3, ubi hac ipsa de causa divus Hieronymus iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ sua scripta jam edita submisit, scribens ad Damasum papam in *Expositione Symboli*: «Hæc est fides, papa beatissime, in qua, si minus perite, aut parum caute, forte aliquid positum est, emendari cupimus a Te, qui Petri et fidem et sedem tenes.»

215. *Alia protestatio auctorum scribentium de vita et miraculis nondum beatificatorum.* — Aliam protestationem moderni scriptores præfigere solent libris suis, præsertim illis, in quibus agitur de vita et miraculis servorum Dei cum sanctitatis aut martyrii fama defunctorum, sed nondum canonizationis, vel beatificationis honore a Sede apostolica insignitorum: expresse protestando, quod historicæ narrationi de vita, virtutibus, miraculis, beneficiis, revelationibus, cæterisque donis supernaturalibus huiusmodi servorum Dei, neutiquam eam fidem attribui velint,

quæ debetur talibus jam a Sede apostolica approbatis; sed ea post diligentem veritatis inquisitionem, accuratamque discussionem, fideliter pro fidelium ædificatione relata, humanæ dumtaxat fidei committere intendant: nolintque aliquem titulo sanctitatis, beatificationis, vel martyrii censi insignitum, nisi qui a Sede apostolica fuerit approbatus: et si quando verba aliud præ se ferre videantur, ea non in sensu stricto ac riguroso accipienda sint, sed in largiori; ita ut constitutionibus apostolicis, præsertim Urbani VIII, desuper emanatis, in nullo contraveniantur, sed omnis reverentia, debitaque obedientia, eisdem præstetur: omniaque, et singula scripta, altiori sanctæ Sedis apostolicæ iudicio, atque censuræ, sint, atque intelligantur esse subjecta.

217. *Huiusque utilitas.* — Et merito huiusmodi solemnem protestatio adhibetur, ne quis Decretis apostolicis, ac præsertim duabus constitutionibus Urbani VIII, quarum una, die 13 Martii 1625 data, incipit, *Sanctissimus*: altera vero, die 3 Julii 1634 emanata, incipit, *Cælestis Hierusalem* (ac referuntur tom. IV. *Bullar. Rom.*, constit. 39 et 134. d. *Pontif.*) in aliquo contravenisse convinci valeat. Nam, sicut olim Joachim abbas, ita et talis, servatis cæteroquin servandis, sua protestatione relevaretur.

218. *Protestatio contraria facto non relevat, quomodo intelligendum? Protestatio contraria facto, quæ dicatur?* — Neque obstat illud vulgatum axioma: *Protestatio contraria facto non relevat.* arg. c. *Gratum de Offic. delegat.* et l. *Cum plures.* § *Locator*, ff. *Locati.* ac tradit Oldradus consil. 107, num. 10. vers. Ad sextum. et card. Tuschus litt. P. concl. 944. n. 1. et alii. Nam imprimis axioma hoc procedit solum in illis casibus, in quibus protestatio vere est contraria facto: et dicitur *contraria*, quando factum et protestatio se non compatiuntur, sed unum tollit alterum, saltem consecutive; ut fit in allatis iuribus. Secus est, quando protestatio est compatibilis cum facto, ac fit ad tollendam mentem et præsumptionem, quæ cæteroquin resultaret ex illo facto; uti accidit in proximè dictis protestationibus. Barbosa, axiomat. 194, n. 4, citans alios.

219. *Protestatio contraria facto non relevat, quomodo intelligendum?* — Deinde axioma illud fallit, estque limitandum in illis casibus, in quibus factum pendet a sola voluntate protestantis: nam tunc protestatio, veluti

propriæ animi declaratoria valet, atque relevat, etiamsi existat contraria facto, arg. cit. c. *Damnamus.* h. t. ac tenet Navarrus, cit. consil. 9, n. 14, de *Hæretic.* et abbas Panormit. in c. *Cum M. Ferrariensis*, n. 19, de *Consuetud.* id inter alia declarans exemplo testatoris, qui a principio protestatur, quod si cuiquam bis legaverit, semel tantum legatum esse velit: nam si postea eidem sæpius legaverit, nisi aliud specialiter exprimat, valet protestatio, ac legatum semel tantum debetur, l. *Si quis in principio.* 22. ff. de *Legatis III.* Quia enim talis protestatio est declaratoria propriæ animi, propriæque facti, et quidem a sola sua voluntate dependentis, merito valere censetur. Barbosa, loc. cit.; card. Tuschus, litt. P. conclus. 944, n. 16 et alii.

220. *Damnato auctore, ejus quoque libri censentur damnati.* — Quæritur III. An damnato auctore, libri quoque ipsius censeantur damnati, et econtra? Resp. I. Damnato auctore, ejus quoque scripturæ, et libri censentur damnati. Ita habetur in c. *Fraternitatis*, juncta Glossa un. et doctoribus ibid. de *Hæretic.* Et hoc in consequentiam: nam destructo principali, destruitur accessorium, c. *Accessorium.* 42. de *Reg. juris*, in 6. cum concordantiis. Quod ampliatur, etiamsi aliqua bona, et utilia contineantur in talibus scripturis auctoris damnati: quia nihilominus non valent, nec sunt recipienda pro jure, seu tanquam habentia auctoritatem ex tali auctore damnato, arg. c. *Licet ex quadam*, 47. de *Testib.* et c. *Excommunicamus.* 13. § *Credentes.* de *Hæretic.* ac favet textus in can. *Bene quidem*, §. fin. dist. 96.

221. *Et quomodo hoc intelligendum? Originis scripta, quomodo citentur? Auctorum damnatorum scripta, qua ratione citari possint?* — Additur notanter, «tanquam habentia auctoritatem ex tali auctore damnato.» Siquidem non omnia dicta, et scripta auctoris damnati simpliciter reprobantur tanquam falsa: quinimo perniciosissima fraude diabolica accidere solet, ut ipsimet hæretici, ad animas incautorum facilius decipiendas, in libris suis vera falsis, ac falsa veris commisceant; veritas autem non mutatur, licet eam ex parte sequatur auctor damnatus. Igitur auctore damnato, damnantur quoque scripta ejus, quantum ad hoc, ut pro jure haberi, et quasi auctoritatem ex se continere non valeant: alia vero scripta ipsorum, ubi bona sunt ac vera, possunt teneri tanquam vera, non autem ut auctorizabilia, arg. can. *Et*

hoc diximus, 16. q. 7. ubi ratione bonæ sententiæ referuntur, et citantur aliqua scripta Origenis quamvis ille post mortem fuerit anathematizatus et damnatus, ut legitur can. Sane profertur. 24 q. 2.

222. *Et quomodo hoc intelligendum? Auctorum damnatorum scripta, qua ratione citari possint?*—Ulterius bene et utiliter talia scripta allegantur ad convincendam, atque impugnandam vanitatem, seu falsitatem talium auctorum, et errorum suorum, arg. can. *Si quid veri*, dist. 37 et can. *Dominus declaravit*. 4. q. 1. Idque exemplo Pauli Apostoli ad *Timum*, 1, 12, contra Cretenses adducendis testimonium cujusdam gentilis, proprii ipsorum prophetæ, ac perhibentis: *Cretenses semper mendaces, mala bestiae, ventres pigri*: quia illud verum competit. Hoc autem solummodo recte fit ad revincendam vanitatem, malitiam, et falsitatem; non autem ad asserendam aliquam ipsorum auctoritatem: sicut a pari de Christo tum sancti angeli, tum daemones testimonium perhibuerunt, et utriusque verum dixerunt, nihilominus daemones nulla fuit auctoritas; ac proinde Christus non sinebat ea loqui. Marc. 1, 34. et Lucae, IV, 41.

223. *Libri auctorum damnatorum recte jubentur comburi.*—Quinimo quia simplices non tam facile veritatem a falsitate discernere possunt; hinc talium lectio librorum, quorum auctores damnati sunt, optime per sanctam matrem Ecclesiam populo christiano prohibita fuit; ut constat ex *Bulla Cœnæ Domini*, ac indice librorum prohibitorum. Id ipsum inhibuerunt etiam leges Cæsareæ, l. *Damnato, c. de Hæretic.*, ubi proin tales libri jubentur comburi: nam veritas tutius in aliis libris incorruptis investigatur, et facilius reperitur, quam in talibus jam depravatis, et venenatis scripturis.

224. *Damnato libro, non idcirco censetur damnatus auctor.*—Resp. II. Nihilominus damnato libro, non idcirco censetur damnatus illius auctor; præsertim, si ipse submitit librum judicio sanctæ Sedis apostolicæ. Patet hoc ex d. c. *Damnatus*. h. t. ubi damnato, et reprobato libello Joachim abbatis, ipse Joachim non damnatur. Hinc in præfatione iudicis librorum prohibitorum notanter monetur, quod ibidem «in prima classe non tam libri, quam librorum scriptores continentur, qui aut hæretici, aut nota hæresis suspecti fuerunt; horum enim catalogum seri oportuit, ut omnes intelligant, eorum

scripta non edita solum, sed edenda etiam prohibita. In secundam classem non auctores, sed libri sunt relati, qui propter doctrinam, quam continent, non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus tantum fidelium afferre potest, rejiciuntur, etiamsi auctores, a quibus prodire, ab Ecclesia nunquam desciverint.» Hactenus citata præfatio, clare indicans, quod damnato, sive reprobato auctore, omnes ejus libri reprobentur: non autem econtra damnato libro, damnetur auctor.

225. *Cur error Joachim abbatis, et damnatio libri sui, nihil obfuerit monasterio Florensi?*—Queritur IV. Cur error Joachim abbatis, et damnatio libri sui, nihil obfuerit monasterio Florensi, per ipsum instituto atque gubernato? Resp. I. Ratio hujus fundamentalis affertur in sæpe dicto cap. *Damnatus*. § *In nullo*. h. t. illis verbis: «In nullo tamen propter hoc Florensi monasterio (cujus ipse Joachim extitit institutor) volumus derogari: quoniam ibi et regularis est institutio, et observantia salutaris: maxime cum ipse Joachim omnia scripta sua Nobis assignari mandaverit apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda,» etc. Quibus verbis duplex, ut liquet, insinuatur ratio: Prima est, regularis institutio, atque observantia salutaris in memorato monasterio vigens: secunda, protestatio auctoris, libellum suum judicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ humiliter submittentis, hujusque fidem firmiter se tenere palam confitentis.

226. *Dictio Maxime est implicativa, et quid importet?*—Resp. II. Etiamsi posterior ratio defuisset, atque Joachim, auctor libri in generali concilio reprobati, et damnati, stetit pertinaciter in suo errore; adhuc tamen non fuisset idcirco reprobatus ipsummet monasterium Florense. Ita abbas Panormitanus in d. c. *Damnatus*. n. 4. h. t. recte id colligens ex addita dictione, *Maxime*. Hæc siquidem dictio ex propria vi, et natura sua, est implicativa, et implicat, sive includit casum magis dubitabilem, denotatque idem esse in casu contrario, sive in quo deficit ratio expressa, licet in isto fortior militet ratio, arg. l. I. § *Si ex doctante*. ff. *de Collatione*. et c. *Ad abolendam*, juncta Glossa § *Maxime spurii*. de *Filiis presbyt.* ac tradunt Everardus loco a natura *Dictionum implicativarum*, n. 1; Fagnanus in c. *Cum esses*, n. 53, de *Testamentis* et late Barbosa *Diction.* 497. *Maxime*, citans alios.

227. *Delictum prælati non debet in monasterii detrimentum redundare.*—Confirmatur. Quia «delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare:» ut habet reg. 73. juris in 6. et concordat textus in can. *Si episcopum*, 16. q. 6. et c. *Fraternitatem*, 2. de *Donatione*. Ergo stante eo, quod in monasterio vigeat institutio regularis, atque observantia salutaris, sicque illud non consentiat in peccatum prælati, damnato prælato ob suam hæresim, et pertinaciam in ea, non idcirco monasterium damnari censetur. Adhuc enim istud immune erit, atque salvabitur ex prima ratione, videlicet ob institutionem, atque observantiam regularem suam: quamvis multo magis, atque a fortiori idem dicendum sit, si prælatus sua quoque scripta judicio sanctæ Sedis apostolicæ submittat, ac proin pertinaciter in suo errore non persistat.

§ XI.

DE ERRORIBUS ALMARICI, ET ALIIS HOC TITULO TRACTATIS.

228. *Almarici errores damnantur in concilio generali.*—Queritur I. Quis fuerit Almaricus, et qui errores ipsius? Nam plures errores ipsius fuisse damnatos in eodem generali concilio, patet ex verbis illis, in c. *Damnatus*, § fin. h. t. relatis: «Reprobamus etiam, et condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excecavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quam insana.»

229. *Almaricus, quis fuerit?*—Resp. I. Almaricus, natione Gallus, circa annum Domini 1204, sub Ottone IV imperatore, ac Innocentio papa III, in Parisiensi civitate, in qua cæteroquin est fons totius scientiæ, et puteus divinarum Scripturarum, quibusdam viris litteratis sibi adherentibus impietatis doctor, ac perversissimorum dogmatum magister extitit. Qua cognita, et probata perversitate sua Almaricus de concilio episcoporum, et theologorum, ductus in campum, et coram universo populo degradatus, atque una cum sectatoribus suis in adventu regis Franciæ flammis exustus fuit. Berardus Lutzenburgus in *Catalogo hæreticorum*. §. *Almaricus*: quamvis Fagnanus in c. *Damnatus*, num. 28. h. t. referat Almaricum de suis vesanis erroribus ab episcoporum et theologorum Parisiensium concilio convictum, ex mœrore animi interisse; ejusque cadaver, jussu Philippi

Galliarum regis postea exhumatum, et anno 1208 flammis exustum fuisse.

230. *Plures ejus errores referantur in specie.*—Resp. II. Inter vesanos Almarici errores fuerunt præcipui, qui sequuntur. Et quidem impie assererat. — I. Corpus Christi non aliter esse in pane altaris (negabat enim transsubstantiationem) quam in alio pane, et qualibet re. — II. Deum sic locutum esse in Ovidio, sicut in Augustino. — III. Negavit resurrectionem corporum. — IV. Negavit similiter paradisum, et infernum; asserens, quod qui haberet cogitationem Dei in se, ipse haberet in se paradisum; qui vero peccatum mortale haberet, is haberet infernum in se, sicut dentem putridum in ore. — V. Altaria sanctis dicata, et imagines illustrare, ac sanctos invocare, idololatriam esse dicebat. — VI. Asserebat, quod si Adam non peccasset, non fuisset distinctio sexus, sed fuisset multiplicatio hominum, sicut angelorum. — VII. Quod Deus non videatur in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere. — VIII. Quod illud, quod alias foret peccatum mortale, factum in charitate non sit peccatum, impunitatem peccatorum promittens. — IX. Affirmabat, ideas, quæ sunt in mente divina, et creare, et creari; cum tamen in mente divina, teste sancto Augustino, nihil nisi æternum, et incommutabile sit. — X. Aiebat, mentem contemplativi, vel beati, perdere suum esse in proprio genere et redire in illud esse ideale, quod habuit in mente divina. Tacentur alii hæretici, quin et insani errores Almarici, quos universim fuisse viginti, refert Lutzenburgus, loc. cit. id colligens ex Chronicis summorum pontificum, tempore Innocentii III.

231. *Concilium generale Viennense, quando celebratum, et quæ in ipso fuerint definita?*—Queritur II. Quænam dogmata fidei in concilio Viennensi, relato Clem. un, h. t. proponantur? Resp. Concilium istud generale, anno Domini 1311 celebratum Viennæ in Gallia, sub Clemente V, comprimis firmiter confitetur Unigenitum Dei Filium, in eadem essentia cum Patre æternaliter subsistentem, verum corpus humanum, ac passibile, animamque rationalem, illud vere per se, ac essentialiter informantem, assumpsisse in tempore ex Virgine ad unitatem personæ. Et quod in humana natura assumpta ipsum Dei Verbum pro nostra salute non solum cruci affigi, et in ea mori voluerit, sed etiam post mortem lancea perforari in latere sustinuerit.